



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Schluß des Jahrs 1647. biß in den Monath Junium des Jahrs 1648. zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt ...

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1735

VD18 90103157

§. XIV. Project des von den Schweden extradirten Instrumenti Pacis d. 14.
April 1647.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52461)

1647.
April.

§. XIV.

1647.
April.Project des
von den
Schweden
extradirten
Instrumenti
Pacis.

Weil das, von den Schwedischen Gesandten am 14. April denen Kayserlichen Plenipotentiariis exhibirte Project *INSTRUMENTI PACIS*, endlich bekannt wurde, da es anfangs sehr geheim gehalten, und nur einige Articuli daraus Stück. weis den Reichs Ständen communiciret worden; (Siehe den Vierdten Theil, XXIX. Buch, §. II. sq.) So dienet zur nöthigen Ergänzung der Acten und Formalien, desselben vödligen Inhalt nach N. I. gegenwärtig zu lesen.

N. I.

*) *Projectum Instrumenti Pacis SUECICI, à Sueciae Legatis d. 14. April, 1647. Cæsareanis exhibitum.*

Serenissimæ ac Potentissimæ Principis ac Domina, Domina CHRISTINÆ, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina, Magnæ Principis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ Ingriæque Domina, Domina nostræ Clementissimæ, ad hunc universalis Pacis Tractatum cum potestate Legati, Johannes Oxenstierna Axellii, Comes Moreæ Australis, Liber Baro in Kimitho, Dominus in Fiholm, Horningsholm & Tullegarn, Regni Sueciæ Senator & Consiliarius Cancellariæ, & Johannes Adler Salvius, hæreditarius in Adlersburg & Tulinge, S. Regiæ Majestatis Consiliarius Secretus & Aula Cancellarius, universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest, notum testatumque facimus, postquam à multis Annis orta in Imperio Romano dissidia motusque civiles eousque increverint, ut non modo universam Germaniam, sed & aliquot finitima Regna, potissimum vero Sueciam Galliamque, ita involverint, ut diuturnum & acre exinde enatum sit bellum, primo quidem inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum GUSTAVUM ADOLPHUM, Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Esthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominum, Dominum quondam nostrum Clementissimum, inclitæ recordationis, & Regnum Sueciæ, Ejusque Fæderatos & Adhærentes ex una; & Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum FERDINANDUM Secundum, Electum Romanum Imperatorem, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Slavoniæ Regem, Archi-Ducem Austriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Sciriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Lucenburiæ, ac Superioris ac Inferioris Silesiæ, Würtembergæ & Teckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravium Alsatia, Marchionem Sacri Romani Imperii Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Lufatiæ, Dominum Marchiæ Slavoniæ, portus Naonis & Salinarum, inclutæ memoria, cum suis Fæderatis & Adhærentibus, ex altera parte: deinde post eorum è vita discessum, inter dictam Serenissimam Reginam Regnumque Sueciæ, ejusque Fæderatos & Adhærentes ex una; ac Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum FERDINANDUM Tertium, (totus Titulus) Ejusque Fæderatos & Adhærentes ex altera parte: unde multa Christiani sanguinis effusio, cum plurimarum Provinciarum desolatione secuta est: Tandem Divina bonitate factum esse, ut utrinque de Pace universali suscepta sit cogitatio; in eumque finem ex mutua Partium Conventione, ante trigesimum Quintum Junii MDCXLVII. annuum

*) Es ist zwar in verschiedenen Büchern ein Project, unter der Rubric: *Instrumentum Pacis Suecicum Omabridge Ao. MDCXLVII. exhibitum*, gedruckt zu finden, welches aber mit dem gegenwärtigen gar nicht übereinstimmt. Dieses hingegen ist von einer in der Schwedischen Canslep zu Ohnabrück ehelin revidirten avthentischen Copey, mit welcher auch die damalige im Druck publicirte Deutsche Uebersetzung genau zutrifft, genommen.

1647.
April.

ennium cum dimidio, dicta dies 11. Julii Anni 1643. Congressui Plenipotentiariorum Osnabrugis & Monasterii Westphalorum instituendo. Nos itaque nomine & mandato S. Regiæ Majestatis Regniq̃ Sueciæ cum Sac. Cæsareæ Majestatis ad hunc actum legitime constitutis Legatis, Illustrissimis & Excellentissimis Dominis, Domino Maximiliano Comite à Trautmannsdorff & Weinsberg, Barone in Gleichenberg, Neostadi ad Cocrum, Negau, Burgau & Totzenbach, Domino in Teinitz, Equite Aurei Velleris, Consiliario Secreto, Camerario & Supremo Aulæ Præfecto, nec non Domino Maximiliano Comite à Lamberg, Cæsareo Camerario, & Domino Johanne Crane, Juris utriusque Licentiato, Consiliariis Imperialibus Aulicis, statuto tempore, locoque congressi, post invocatum Divini Numinis auxilium mutuasque Plenipotentiarum tabulas, (quarum apographa sub finem hujus Instrumenti de verbo ad verbum inserta sunt) rite commutatas, præsentibus & suffragantibus S. Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, ad divini nominis gloriam & Christianæ Reipublicæ salutem, in mutuas pacis & amicitiae leges consensimus & convenimus, tenore sequenti :

1647.
April.

Sit pax universalis, Christiana, perpetua & vera constansque amicitia, inter dictam Serenissimam Reginam Regnumque Sueciæ & Galliæ, omnesque & singulos eorum Fœderatos & Adhærentes, & singulorum respectivè hæredes ac successores, ab una : nec non Serenissimum Imperatorem Romanum & Domum Austriacam, omnesque ac singulos ipsorum Fœderatos & Adhærentes, Regem Hispaniarum Catholicum, Electores, Principes & Status Imperii, ac singulorum respectivè hæredes & successores ab altera parte, eaque ita sincere serioque fervetur & colatur, ut omni ex parte & Regnorum cum Imperio Romano, & vicissim Imperii cum Regnis Sueciæ Galliæque fida vicinitas & secura studiorum Pacis amicitiaque cultura revirescant & reflorescant.

Sit & utrinque mutua perpetuaque omnium hinc inde à primo horum motuum initio hucusque quocunque modo locoque hostiliter actorum Amnestia : ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causa vel prætextu, alter alteri posthac quidquam hostilitatis aut inimicitiae, molestiae & impedimenti, quoad personas, statum, bona vel securitatem, per se vel per alios, clam aut palam, directè vel indirectè, specie juris aut via facti, in Imperio vel uspiam extra illud (non obstantibus ullis prioribus Pactis in contrarium facientibus) inferat aut inferri faciat vel patiat : Sed omnes & singulæ tam ante bellum quam in bello, verbis, scriptis aut factis illatae injuriæ, violentiæ, hostilitates, damna, expensæ, absque omni personarum rerumve respectu ita penitus abolitæ sint, ut, quicquid eo nomine alter adversus alterum præterdere posset, perpetua sit oblivione sepultum.

Juxta hoc universalis & illimitatæ Amnestiæ fundamentum, universi & singuli S. Romani Imperii Electores, Principes, Status, (comprehensa Immediata Imperii Nobilitate) eorumque Vasalli, Subditi, Cives & incolæ, quibus occasione Bohemiæ Germaniæve motuum & fœderum cum Suecia Galliæve, aliquid præjudicii aut damni, quocunque modo vel prætextu illatum est, tam quoad ditiones & bona, feudalia, sub-feudalia & allodialia, quam quoad Dignitates, Immunitates, Jura & Privilegia, restituti sunt plenariè in eum statum, in Sacris & Prophanis, quo ante destitutionem gavisii sunt, aut jure gaudere potuerunt : non obstantibus sed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Quod si restituendorum bonorum possessores exceptionibus se justis munitos existimant, eæ quidem restitutionem neutiquam impediunt, hæc tamen pacta, coram competenti Judice examinentur & discutiuntur. Proscriptiones autem, horum motuum aut

1647.
April.

aut bellorum causa, nulla impostero publicentur, nec publicatae hactenus aut decretae mandentur executioni, multo minus restitutio ex capite antea decretarum & publicatarum, hisce in totum abolerentur, impediatur &c.

1647.
April.

Ut autem specialius constet, quid universis, quid singulis, tum ante bellum competiit, tum posthac in Sacris & Prophanis competere debeat: conventum est, ut, qui se iniquitate temporum, suis bonis aut Juribus spoliatos, peculiariter hic questi sunt, peculiariter quoque dicta restitutione gaudeant. Inprimis Regni Bohemiae, Silesiae, Moraviae, omniumque Domus Austriae Provinciarum Hereditariarum status, subditi, incolae & exules, in Politicis, Patrimonialibus, fidei commissis & aliis, pristinae conditioni restituantur, ac in bona juraque ante exortos hos motus possessa redintegrentur &c.

Causam vero Palatinam visum est toti Conventui hoc modo dirimere, ut modernus Elector Bavariae primo loco inter Electores Seculares gaudeat, Carolus Ludovicus Palatinus octavo, quoad alteruter decedat. Decedente Maximiliano, filius octavo fruatur, Palatino in primum instituto: Et vicissim Palatino defuncto, succedat in primum Bavarus, in ultimum vero Palatinorum is, quem ordo legis Carolinae rangit, atque ita deinceps alternatione perpetua. Praeterea universa Domus Electoralis Palatina, cum omnibus qui ei toga vel sago inserviverant, fruatur Amnestia supra dicta plenissime: restituta in utrumque Palatinatum cum Strata Montana, omnique jure, quo ante hos motus gaudebat: excepto Dominio Chamb usque ad fluvium Reggen, Electori Bavariae ita relinquendo, ut absque restrictione temporis pro aequa pecuniae summa relui possit. De caetero Carolus Ludovicus cum Fratribus Caesareae Majestati fidelitatem & obedientiam praestet, Augustanae Confessionis consortes, interque eos cives & incolas Oppenheimenses, in Statum Ecclesiasticum Anni 1624. restituat, caeterisque id desideraturis Exercitium Religionis tam publice in templis ad statas horas, quam privatim in aedibus propriis, aut alienis ei rei destinatis, per suos aut vicinos divini verbi Ministros, absque impedimento peragendum concedat: Liberam denique Imperii Nobilitatem in suo Immediato & privilegiato statu conservet.

Princeps Ludovicus Philippus, Comes Palatinus Rheni, recuperet omnes ditiones, dignitates & Jura, quae ipsi a Majoribus ex successione & divisione ante tumultus bellicos obvenierunt.

Quicquid autem ratione Domus Palatinae dicto modo transactum est, id omne intelligatur citra praedictum Lineae Neoburgicae & Lautereccensis, tam quoad Jura Electoralia quam Patrimonialia & Feudalia: salvis actionibus cujuscunque, communibus ac peculiaribus, pendentibus jam in lite & non pendentibus: Inprimis vero actione haeredum Principis Georgii Johannis Palatini ad Rhenum, in causa Electoris Ottonis Heinrici haereditaria, jam dudum judicialiter capta, cum omni causa.

Princeps Fridericus, Comes Palatinus Rheni, quam partem Vestigialis Viltzbacensis, Ccenobium quoque Hornbach cum pertinentiis, & quicquid juris parens ejus ante hac ibidem habuit ac possedit, recipiat: Comites Palatini Solisbacenses, in eum statum, in quo res eorum ab Anno 1615. usque ad destitutionem Anno 1627. secutam steterunt, per omnia redintegrentur, actionibus tam in patrum, Ducem Neoburgicum, competentibus e testamentis pactisque Majorum salvis, Tractatu amicabilis concordiae terminandis.

Controversia, quae vertitur inter Episcopum Herbipolensem & Marchiones Brandenburgicos Culmbachi & Onolzbachi, de Castro, Oppido, Praefecturæ Theil.

M m 2

fectu.

1647. festura & Monasterio Kitzingen in Franconia ad Mœnum, aut amicabile
 April. compositione, aut summario juris processu terminetur intra biennium, sub
 pena perdendæ prætensionis imponenda detrectanti: Interim dictis Do- 1647.
 minis Marchionibus restituatur Fortalitium Wiltzburg in eum statum, qui April.
 tempore traditionis descriptus fuit, ex conventionione & promisso: adhæc
 omnia Jura presbyterialia in Comitatu Schwvartzenberg & Dynastia Ho-
 henlandsberg.

Domus Württembergica restituatur in Civitatem Blaubeuren & For-
 talitium Ruck, nec non Dynastias Hohenstauffen & Achalm, cum omnibus
 pertinentiis & adjacentibus ex Comitatu Aurach, aliisque vicinis Dynastiis,
 cumprimis Civitate & territorio Goppingensi, redditibus item Universitati
 Tubingensi pie fundatis. Recipiat etiam Haydenheim & Ober-Kirck; Item
 Civitates Balingen, Tuthlingen, Ebingen & Rosenfeldt cum pertinentiis:
 Tum Hohentviel, Hohen-Asperg, Hohen-Aurach, Hohen-Tübingen,
 Albach, Hornburg, Schilrach, cum Civitate Schorendorffo. Restitu-
 tio etiam fiat in Ecclesias Collegiatas, Stutgard, Tubingen, Herrenberg, Gop-
 pingen, Bachanang; nec non in Abbacias atque Monasteria Bebenhausen,
 Maulbron, Anhausen, Lorch, Adelberg, Denckendorff, Hirfau, Blaubeu-
 ren, Herbrochtingen, Murhard, Alpirsbach, Königsbrun, Hernalb, Divi
 Georgii, Rechenbach, Pfullingen & Lichtenstern, five Marien Cron, cum
 omnibus Documentis Abbatis. Principes quoque Württembergici Lineæ
 Mompelgartensis restituantur in omnes suas ditiones ubicunque sitas, nomi-
 natim in duo feuda Burgundica Clerval & Passavant, ab utraque parte in eum
 statum, quo ante initium horum bellorum fuerunt.

Fridericus Marchio Badensis & Hochbergenfis restituatur in eum sta-
 tum, in Sacris & Pröphanis, in quo fuit ante hos motus ejus Parens Georgius
 Fridericus; controversiis de Superiori Marchionatu Badensi ex æquo & bono
 componendis. Reddatur quoque dicto Principi Friderico Dominium Stauff-
 fen & ditio Brigovix, cum reliquis Comitum Friburgensium ditionibus &
 bonis, quæ olim Domui Austriacæ sequestrata, postmodum vero ad Marchio-
 nes Badenses, legitimos eorum hæredes, jure devoluta sunt. Renunciant
 Archi-Duces Austriæ pro se & hæredibus, in perpetuum, actionibus & pro-
 cessibus super dynastia Röteln, aliisque ditionibus, in Camera contra Marchio-
 nes institutis. Satisfiat Suxæ Celsitudini ob everfionem Castrii Hochbergenfis ex
 æquo & bono, Principissæ quoque Badensi restituatur Dominium Hohen-Ge-
 roltzeck cum fructibus perceptis & percipiendis, omnique damno & inter-
 esse, eoque aperto investiantur dictus Dominus Fridericus ejusque hære-
 des masculi & fœminæ.

Electori Brandenburgico ejusdemque Domui restituatur vigore supra-
 dictæ Amnestiæ, integer Ducatus Carnoviensis seu Jegerndorffensis in Silesia
 cum omnibus Juribus, Privilegiis & pertinentiis, nec non libero Augustanæ
 Confessionis exercitio.

Dux de Croy gaudeat effectu generalis Amnestiæ, neque protectio Re-
 gis Christianissimi sit ei fraudi, Dignitatis, Privilegiorum, Honorum, Bono-
 rum, aut ullo alio respectu. Quiete quoque possideat eam Domini Vinstin-
 gen partem, quam Majores sui possederunt, prout nunc ab Illustrissima Ma-
 tre sua dotalitii nomine possidetur. Maneat dictum Dominium Vinstingen
 feudum Imperio immediate subiectum, prout hætenus fuit; forumque ejus
 nomine ordinarium dictus Dux in prima Instantia, pro ratione circumstan-
 tiarum vel in Judicio Austregarum vel in summis Imperii Tribunalibus, per-
 petuo fortietur.

Comitibus Nassau-Sarapontanis restituantur omnes eorum Comi-
 tatus,

1647. tatus, Dynastia, Territoria, homines & bona, Ecclesiastica & Se- 1647.
 April. cularia, feuda & allodia, cum omnibus eorum Juribus, Immunitatibus & April.
 Privilegiis: nominatim ea, quibus à Sarverdano & Sarapontano Anno
 1629. & deinceps spoliati fuerunt, cum omni causa: Interque ea fortalium
 Homburg, cum omnibus tormentis bellicis & mobilibus ibi receptis: Pro im-
 mensis vero damnis, à dictis Ducibus Lotharingicis Familiae Nassau-Sarap-
 pontanae illatis, satisfiat ipsi vel numerata pecunia vel cessione immobilium
 bonorum, prout ea de re conveniri poterit.

Johannes Mauritius, Comes Nassovicus ejusque Fratres, in possessione
 non ita pridem recuperata sui Patrimonii, quod frater ipsorum primogeni-
 tus defunctus, contra Paternum testamentum Anno 1621. conditum, pluri-
 mis annis de facto detinuit & usurpavit, maneant & valide protegantur.

Domus Hanovia restituatur in praefecturas Bobenhausen, Bischoffsheimb
 an Steg, & Wilsstadt.

Johannes Albertus Comes Solmensis in quadrantem urbis Butzbacen-
 sis, & quatuor Pagos adjacentes.

Domus Solmeja Hohen-Solmensis & Isenburgica restituantur in inte-
 grum, contra Transactiones & renunciaciones à Landgravio Darmstatino
 per summam necessitatem ipsis expressas: in specie etiam Isenburgica Do-
 mus in Pagos Geinsheimb, Hexheim & Wichenu, sub praetextu Juris re-
 tentionis à modernis usurpatoribus apprehensos.

Rheingravii in suas Praefecturas Troneck & Wildenburg, Item Dyna-
 stiam Morchingen cum pertinentiis, & caetera omnia Jura à vicinis usurpata.

Domus Sayn & Wittgensteinensis in Arcem, Urbem & Praefecturam
 Hachenburgicam: ut & secundum Sententiam Cameralem in vicinum Ben-
 dorff prope Rhenum: nec non dimidiam Dynastiae Vallendaricis partem:
 Castrum quoque & Praefecturam Frensbergicam cum pertinentiis.

Domus Falckenstein, in Castrum ejusdem nominis seu feudum Imperii.
 Quicquid Juris competit Comitibus de Ratzeburg & Falckenstein, cognomi-
 natis Löwenhaupt, in Comitatum Falckenstein, in Palatinatum & Praefectu-
 ram Bretzenheim in Archi-Episcopatu Colonienfi, nec non Baronatum
 Reipolzkirch in districtu Hundsrück situm, id eis cum omnibus Juribus &
 appertinentiis aliis, adjudicabitur &c.

Domus Waldeck in possessionem vel quasi omnium Jurium in Dynastia
 Didinghusen & pagis Nordernau, Lichtenscheidt, Defelt & Niedern-Schlei-
 der, prout illis Anno 1624. gavisii sunt: Item in Comitatum Pirmont: & re-
 ditus certos ab aliis extra territorium usurpatos.

Porro Comites Schwartzburgenses & Stolbergenses in Comitatum
 Hohnstein.

Philippus Comes Lippiacus ad id, quod ei jure competit in Comitatu
 Schaumburgico.

Domini in Rapelstein in conditionem Immediati Status Imperii.

Joachimus Ernestus Comes Ottingensis in omnia, quae Pater ipse, Lu-
 dovicus Eberhardus anno 1618. & 1627. possidebat: quaeque ipsi per Edictum
 adempta fuere.

Johannes Fridericus Comes ab Eberstein, ad similia,

M m m 3

Do-

1647. April. Domus Hohenloica, in omnia ipsi ablata: præcipue Dynastiam Weickersheim: itemque in Canobium Scheffersheim, absque omni exceptione, imprimis retentionis. 1647. April.

Similiter Fridericus Ludovicus, Comes de Löwenstein & Wertheim in omnes suos Comitatus & Dynastias, quæ tempore huius belli & ipsi & defunctis ejus agnatis, Georgio Ludovico & Johanni Casimiro, sequestrata, confiscata aliisque cessæ fuerunt, in Politicis & Ecclesiasticis restituatur.

Vidua quoque Johannis Casimiri de Löwenstein in sua bona dotalia & hypothecata.

Domus Erbaccensis, imprimis Georgius Albertus, in Castrum Breubergicum omniaque ejus jura, ipsi cum Domo Lowensteinenfi communia, tam quoad præsidium ejusque directionem quam cætera civilia Jura.

Vidua & hæredes Comitis à Brandenstein in omnia amissa bona & Jura.

Barones de Cunowitz in suum Baronatum omniaque paterna & materna bona.

Baro Paulus Kewenhuller cum nepotibus ex fratre, in omnia amissa.

Liberi Barones à Schöneicken tam in jus Majoratus, quam in possessionem Baronatum Carloth, Beuchen & Milkau.

Barones à Tieffenbach: Baro de Wartenberg: Georgius Dietrichstein: Hæredes Cancellarii Löffleri; Marcus Antonius à Rhelingen &c. quisque in omnia ipsis adempta plenarie restituti sunt.

Præterea restituantur quoque in sua bona Juraque Civitates, imprimis qui peculiariter hic sua postulata exhibuerunt, prout singularum interesse sequentibus Articulis specialius comprehenditur.

Imprimis Argentorato inviolabiliter serventur ea, quæ in Transactionis Hagenoensis die 12. Novemb. Anno 1604. factæ, Paragrapho sexto comprehenduntur, capita. Eademque civitas omnibus juribus & privilegiis, ab Imperatoribus & Imperio obtentis atque imposterum obtinendis, nec non statutis, consuetudinibus & ordinationibus laudabilibus, locisque suis allodialibus, feudalibus, & pignoris hypothecæ titulo subjectis, ad eundem modum liberrimè fruatur, quo ante exortum hoc bellum usæ est, aut jure uti, frui potuit, citra turbationem & impedimentum cujuscunque.

Contractus, permutationes, transactiones, obligationes, & Instrumenta debiti, vi metuque, seu Statibus seu subditis illicite extorta, prout factum Spiræ, Weisenburgi ad Rhenum, Landavia, Reuchlingæ, Heilbrunnæ, &c. ut & redemptæ cessæque actiones, interque has Tillio ejusque hæredibus, in Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducum Ducatum & Provinciarum præjudicium, facta cessio, una cum processibus desuper extortis abolita atque ita annullata sunt, ut ullum judicium actionemve eo nomine intentare sit nefas. Quod si vero Debitores Instrumenta Crediti, vi metuque Creditoribus extorserint, ea omnia restituantur, actionibus desuper salvis.

Debita (sive emptionis-venditionis, annuorum reddituum, sive alio nomine vocentur) ab una alterave belligerantium parte, in odium Creditorum, violenter extorta, denuo non exigantur. Quin & processus eo nomine decreti, una cum transactionibus & promissionibus pro futura horum restitutione factis, vel potius illicite extortis, tollantur & enerventur. Salvis

1647.
April.

vis tamen iis pecuniarum summis, quæ flagrante bello pro aliis ad aver-
tenda eorum præsentissima & majora damna, bono animo & intentione ero-
gata sunt. Cujusmodi casus Weissenburgi ad Rhenum, Osnabrugis, &
forte alibi, contigerunt.

1647.
April.

Pignora, quæ contra Cæsaream Capitulationem & Privilegia de non
relando, ab aliis redempta fuerant, prout Lindaviæ, Weissenburgi in
Nordgovia, & alibi factum fortè, reddita, cum omnibus suis pertinentiis
& literariis documentis, ad bona restituenda spectantibus, priori suo sta-
tui plenariè asserantur.

Sententiæ tempore belli de Bonis Ecclesiasticis latæ, sint irritæ, de re-
bus autem merè Secularibus pronunciatæ, nisi Processus vitium & defectus
manifestè pateat, vel in continenti demonstrari possit (prout patet in causa
Speir contra Speir præsentæ demolitionis fortalitii Udenheimensis) non qui-
dem omnino sint nullæ, ab effectu tamen rei judicatæ suspendantur, donec
Acta Judicialia (si alterutra pars intra semestre ab inita Pace spatium peti-
verit Revisionem) in judicio competenti, modo ordinario vel extraordina-
rio in Imperio usitato, reveideantur, & æquabili jure ponderentur, atque
ita dictæ Sententiæ vel confirmentur, vel emendentur, vel si nulliter latæ
sint, plane rescindantur.

Si quæ etiam feuda, regalia & privata, ab anno 1618. non fuerant re-
novata, nec interim eorum nomine præstita servitia, nemini id fraudi esto:
sed tempus repetendæ Investituræ à die factæ Pacis cedere incipiat.

Tandem omnes & singuli tam bellici Officiales militesque quam Consi-
liarii & Ministrii, Togati, Civiles & Ecclesiastici, sive ex Hæreditariis Im-
peratoris sive aliis exteris aut Imperii Provinciis oriundi, quocumque no-
mine aut conditione censentur, qui uni alterivè Partium, eorumvè Fcederatis
aut Adhærentibus, quocumque tempore & sub quibuscunque Dominis, toga
vel sago militaverant, aut quocumque modo adhæserant, vel saltem neu-
trales fuerant, à summo ad infimum, ab infimo ad summum, absque ullo
discrimine vel exceptione, cum uxoribus, liberis, hæredibus, successori-
bus & servitoribus, in eum bonorum, vitæ, famæ, honoris, conscientiæ, li-
bertatis, Jurium ac Privilegiorum statum, quo ante dictos Bohemiæ mo-
tus gavisî sunt, aut jure gaudere potuerunt, utrinque postliminio restitu-
ti sunt: nec eorum personis bonisvè ullum creator præjudicium, ullavè
actio vel accusatio intentator, multo minus ulla pena damnævè sub quo-
cunque prætextu irrogator.

A dicta tamen universali restitutione excepta sunt, quæ restitui vel
reddi ferè nequeunt, mobilia & se moventia, fructus percepti, (modo pos-
sessores bonorum pensiones & onera, usurasque è possessionibus debitas in-
terim exsolverint) auctoritate belligerantium Partium interversâ, itemque
tam destructa, quam publicæ securitatis decorisque causa in alios usus con-
versâ, ædificia publica & privata, Sacra & Prophana: nec non deposita,
confiscata: legitimè vendita: sponte donata.

Quia verò etiam Causa Juliacensis Successionis inter Domos Electro-
rales, Saxoniam, Brandenburgicam & Palatinam Neoburgicam, nisi præ-
veniatur, magnas aliquando turbas in Imperio excitare posset: ideo con-
ventum est, ut ea quoque, Pace confecta, vel amicabili concordia, vel sum-
mario processu, sine mora dirimatur: adeoque ut durante Tractatu Pacis
de circumstantiis huic fini necessariis conveniatur.

Ut

1647.
April.

Ut autem eo rectius præcautum provisumque sit, ne facile post-hac in statu publico controversiæ in Imperio suboriantur, de Juribus Statuum conventum est, imprimis ut, cum Universalia Imperii Comitia judicaverint ex usu Reipublicæ fore, ut Imperatore vivo Romanorum Rex eligatur, libera sit Electoribus eligendi potestas. Cum vero electionem Regis non necessariam duxerint, non eligatur, nisi post fata Imperatoris, Successor. Deinde, ut ex communi omnium Imperii Ordinum suffragio una, certa, constansque Capitulatio Cæsarea, perpetuo observanda, nec nisi de Comitiali dictorum Ordinum consensu mutanda, conformetur: Denique, ut, cum aliæ Leges novæ in Imperio ferendæ, veteresve interpretandæ fuerint; cum bellum decernendum; tributa indicenda; delectus & hospitaliones militum instituendæ; nova fortalicia intra Statuum ditiones nomine Imperii publico extruenda, aut vetera præsidii munienda; cum Pax aut Fœdera faciendæ, aliquis Status dignitate bonisve exuendis videatur, nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat vel admittatur, nisi cum Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum suffragio & consensu.

1647.
April.

Habeantur autem Comitia Imperialia singulis trienniis ad minimum semel: interea vero quoties publica id exigit utilitas: nec ultra trimestre protrahantur: aut in convocando ullus Statuum prætereatur. Tam in Comitibus, quam Conventibus Deputatorum, Directoria statibus, præcipue ubi Re- & Correferendo Vota inter se discrepant, copiam eorum faciant, tempusque deliberandi concedant. Nec in Conventibus Deputatorum una classis a reliquis duobus Collegiis separetur: aut Civitatibus Imperialibus in ordinando Directore præjudicium ullum creetur. Quin & dictis Imperialibus Civitatibus, tam in Universalibus quam Particularibus Imperii Conventibus, absque controversa curiatim competat Votum Decisivum. Decætero Electoribus juxta Auream Bullam illibata maneant eorum præeminentia & jura. De salute & incolumitate Imperii, quoties libuerit, conveniant, & præparatorie consultent. Nihil autem insciis aut invitis cæteris Statibus statuatur & executioni mandetur.

Sicut autem omnibus Imperii Statibus cætera omnia ipsis legitime competentia Jura & Privilegia perpetuo illibata manebunt, ita & Jus faciendi inter se & cum exteris Fœdera, pro sua cujusque conservatione & securitate, singulis perpetuo liberum esto. Ita tamen, ne ejusmodi Fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, Pacemque ejus Publicam: fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperio & Imperatori obstrictus est. At si Cæsares quemquam Statuum primi lacefferint, tunc sicuti defensio ita & Fœdera licita sunt: Rata igitur sint, quæ huc usque eo modo ab Ordinibus inita sunt Fœdera. Rata quoque sint Pacta Principum Familiarum; atque inter cætera Confraternitatis & unionis hæreditariæ Domuum Saxoniarum, Brandenburgicæ & Hassiacæ, prout anno 1587. & 1614. renovata sunt, cujuscunque tamen tertii, cum primis vero Regni Sueciæ, jure salvo.

De remediis Politicorum Gravaminum conventum est, ut Matricula Imperii primo quoquo tempore redintegretur; Erfurto & Egra eidem denuo insertis, & ad Comitia deinceps cum libero Jure Suffragii vocandis. Osnabruga quoque in recompensationem præstiti Legatis hospitii Immediate tate donetur.

Circuli dismembrati redordinentur & Matricula, servata inter Status proportione, ita corrigatur, ut plus justo gravati pro qualitate conditioneque proventuum subleventur. Nec in Collectis imponendis ulli portio competens remittatur, unde Constatus prægravari possint,

Nulli

1647.
April.

Nulli Statuum liceat, se, vel de præterito vel de præsentis vel de futuro, Jurisdictioni aut oneribus Imperii subtrahere. Sed, qui se hætenus quocunque modo subtraxerunt, ad ea protenus reducantur. Status Immediati Imperio avulsi aliisque submissi, quantocius eo nexu liberentur ab ejusmodi aufibus imposterum securi.

1647.
April.

Jus suum in subditos cuilibet illibatum maneat, eique legitimis Dominis ablati, aliisque sine suo facto subjecti, reddantur: Jurisdictioni subtrahenti restituantur, nec subditi Statuum ad Aulam Imperii evocentur. Privilegia, Immunitates, exemptiones, aut protectoria, provincialibus, civibus aut subditis Statuum, non concedantur absque eorum, quorum interest, consensu. Nec subditis contumacibus aut inquietis ulli processus adversus Magistratum, incognita causa decernantur, sed ii potius ad obedientiam debitam præstationem compellantur.

Postarum Magistri oneribus Civitatum non eximantur; Cursus publici dispositio cujuslibet loci Magistratui committatur: nec hi pro literis Statuum ad Aulam Cæsaris ferendis mercedem exigant.

Ad abbreviandas & minuendas lites, tam ordinaria Cameralis Appellationis summa, quam summa inappellabiles Statibus altero tanto augeantur: Et privilegia de non appellando etiam querelas nullitatis excludantur.

Taxa sportularum in Judicio Camerali non augeatur, nisi cum Comitiali omnium Ordinum consensu.

Nec mero fortunæ vitio obærat Status, ob non solutas ad Dominorum Cameralium sustentationem assignatas quotas, processibus fiscalibus & executivis obruantur: sed, donec ad meliorem conditionem redierint, moderamen aliquod adhibeatur.

Liberæ Imperii Civitates non habeantur pro bonis patrimonialibus Cæsarium, nec sub prætextu alicujus Protectionis, Advocatiæ aut Præfecturæ, ab Imperio avulsæ in Municipia Principum convertantur.

Ad emulationem vicinorum vel oppressionem subditorum, contra privilegia, pacta & transactiones ab Anno 1618. noviter extructa Fortalicia, prævia causa cognitione, diruantur: reliqua vero munimenta, sive durante bello sive prius facta, dispositioni & arbitrio cujusque Status relinquuntur.

Transitus & hospitationes Militum instituuntur ad normam Circulærii institutorum & ordinationis Executorialis; Statibusque liceat, se adversus transgressores defendere eosque coercere.

Novis Titulis hucusque in Germania inusitatis nullus Statuum in præjudicium alterius utatur.

Nec merum Imperium, quod quibusdam in locis nomine altæ jurisdictionis venit, nec jus foresti, vel subditos vel terras Statuum trahat in subjectionem.

Ad indagandum medium provisionale, quo tam Debites per publicam calamitatem fortunis lapsi, quam Creditores æquabiliter juvari possint, deputentur statim aliquot Statuum Legati, proxime desuper deliberaturi; Interim dum de eo convenerint, quod intra spatium anni fieri debet, sistatur cursus Usurarum.

Sünstter Theil.

R n n

Tan-

1647.
April.

Tandem conventum hic quoque est, ut Christiana Disciplina & reformatio seu ordinatio Politicæ, prout ea Augustæ Vindelicorum Anno 1530. & 1548. itemque Francofurti Anno 1577. communi Cæsareæ Majestatis Ordinumque placito publicata fuit, renovetur, præsentique rerum statui adaptata in usum intemerandum revocetur, statuta in transgressores absque respectu condigna pena.

1647.
April.

Ut autem studia Pacis, & imprimis Commercia, vicissim reflorescant, ante omnia tollantur, quæ eorum præjudicio hinc inde per bellum in Imperium oborta sunt, impedimenta: & provinciis, portibusque, fluminibus (salvo jure territoriorum quæ alluunt) Rheno, Danubio, Vifurgi, Albi sua pristina libertas, Jurisdictio & usus, prout ante hoc motus bellicos & à pluribus retro annis fuit, restituantur & inviolabiliter conserventur.

Vestigalia, telonia aliaque impositiones, ab officialibus bellicis aliisve belli occasione inventa, irrita sunt. Quæ vero ab Imperatore & Electoribus hætenus legitimo modo constituta sunt, aut usui diuturno inducta, maneat in suo vigore & executioni mandentur: sublato saltem augmento, siquod in dictis locis belli occasione irrepit. At ab hoc die nulla usquam in Imperio vestigalia nova concedantur, aut tolerantur, vel augeantur antiqua, vel ad certum tempus concessa prolongentur, absque omnium & singulorum Imperii Statuum, cum primis interessatorum, consensu.

Quæ consumptilibus, sive accisarum sive alio quocunque nomine, imposita sunt, erogationes & onera, quoad Civitates ipsas eorumque subditos, valeant: extranei tamen inde ne graventur, nisi vel in civitatibus commorentur, vel Civitatum commoditatibus uti frui desiderent.

Literarum Immunitatis abusus cesset, immunitate ipsa, prout pactis aut longa consuetudine invaluit, iisdem, quibus antehac, salva. Quæ ante bellum pro structura, reparatione & conservatione pontium, viarum & fluviorum publica permittit utilitas, permissa maneat, auctariis resectis.

Operas Mechanicas libere exercent omnes Civitates & subditi: nisi forte præcipuum aliquod opificium privilegio vel pacto peculiariter alicui indulgum sit.

Monopolia omnia damnata sunt: At in favorem Commerciorum factæ transactiones & pacta, rationi & legibus conformia, vigeant.

Vigeat itaque, in hunc præcipue finem initum, Fœdus Hanseaticum, cujuscunque tertii jure salvo. Nulla tamen Civitas Mediata de novo in id admittatur, absque Domini, cui subiecta est, consensu.

Arresta & represalia non tolerantur, nisi in quantum legibus sunt permessa. Abusus Bullæ Brabanticæ, cum inductis certificationibus, exactioibus & detentionibus Hispanicis, ut & immoderatis postarum oneribus, partim cassentur, partim ita æquitati attemperentur, ne Commercia inde amplius graventur.

In summa, quæ ante Annum 1618. inter omnes partes, in Germania, Suecia, Gallia, Hispania, viguere Commercia, cum omnibus inde dependentibus, inviolabili pristina libertatis cursu, terra marique & fluminibus omnimode asserantur; salvo jure legeque cujusque loci &c.

Pacis

1647.
April.

Pacis hoc modo conclusæ & ab omnibus Plenipotentariis signatæ Ratihibitiones, ad modum hic mutuo placitum conceptæ, intra spatium trium mensium, Osnabrugis commutentur; interim cesset omnis hostilitas; Exercitibus de stativis usque ad exauctorationem provideatur.

1647.
April.

Imprimis omnes & singuli utriusque partis Captivi, citra discrimen fagi & togæ, interque hos nominatim Princeps Eduardus Brigantinus, eo modo, quo inter Exercituum Duces conventum est, aut etiamnum convenietur, libere dimittantur.

Deinde, quæ de universali ac particulari restitutione supra transacta sunt, in singulis Circulis absque mora ita Executioni mandentur, ut ante Ratihibitionum commutationes cujuslibet gravati manu sigilloque doceri possit, bona cum fide & absque omni exceptione restitutum esse.

Tum ubi & Militiæ & pacti articuli N.N. satisfactum, idque Genera-
lium Ducum literis ostensum est, Ratihibitiones una cum Diplomatum Investiturarum extradantur.

His extraditis riteque commutatis, Præsidia militaria, una cum Præfectis & Officialibus bellicis, è locis restituendis absque civium & subditorum noxa, vel residuæ contributionis, aut factarum in munimenta impensarum, aliuvè rei exactione, bona fide abducantur. Loca ipsa una cum archivis, cæterisque ibi etiamnum conservatis mobilibus, exceptis tormentis bellicis, tam ibi repertis quam aliunde eo inventis, quæ sive in præliis & obsidionibus captæ, sive ad usum & custodiam eo illata fuerant, Victorem indistincte sequantur, eo ordine modoque, quem Exercituum Duces commodissimum judicaverint, suis quæque prioribus legitimis Dominis reddantur.

Reddita verò sive maritima & limitanea sive mediterranea fuerint, ab ulterioribus omnibus, occasione horum bellorum introductis præsidiis, perpetuo posthac libera sunt.

Denique omnium belligerantium in Imperio Partium copiæ & Exercitus dimittantur & exauctorentur, eo tantum numero in suos cujusque proprios status traducto, quem quæque Pars pro sua securitate necessarium judicaverit.

Hac pacificatione comprehendantur, ex parte Serenissimæ Regiæ Sueciæ, omnes ejus Fœderati & Adhærentes, imprimis Rex Christianissimus, tum Electores, Principes, Status, Libera Imperii Nobilitate comprehensa, & Civitates Anseaticæ: Item Rex Angliæ, Rex Daniæ, Rex Poloniæ, Rex Lusitanæ, Magnus Dux Moscoviæ, Respublica Veneta, Fœderatum Belgium, Princeps Transylvaniæ & Helvetii Protestantes: ex parte vero Serenissimi Imperatoris, omnes Suiæ Majestatis Fœderati & Adhærentes S. R. Imperii Electores, Principes, Status, Libera Imperii Nobilitas, & Civitates: In specie Rex Catholicus, Rex Angliæ, Rex Daniæ, Rex Poloniæ, omnes Principes & Respublicæ Italiæ & Helvetii.

Pro majori horum omnium & singulorum pactorum firmitudine ac securitate sic hæc Transactio perpetua lex & pragmatica Imperii sanctio, Cæsareæ Capitulationi inferenda; obligans non minus absentes quam præsentis, Ecclesiasticos æque ac Politicos Imperii Status & alios: eoque tam Cæsareis Procerumque Consiliariis, quam Tribunalium omnium Judicibus & Assessoris, tanquam regula, quam perpetuo sequantur, præscripta.

Contra hanc Transactionem aut Ordinationes Circulorum & Executionis
Zünster Theil. Nun 2 nis

1647. April. nis ullumve earum articulum aut clausulam, nulla jura, Canonica vel Civilia, communia vel specialia, Privilegia, Indulta, Edicta, Commissiones, Inhibitiones, Mandata, Decreta, Rescripta, Litispendentia, quocunque tempore lata Sententia, res Judicata, Religiosorum Ordinum Regulae aut Exemptiones, Protestationes, Contradictiones, Proscriptiones, Confiscationes, Investiturae, Transactiones, praeteriti aut futuri temporis, seu dediticia seu alia Pacta; multo minus Edictum Anni 1629. vel Transactio Pragensis, aut Concordata cum Pontificibus, aut Interimistica, Anni 1548. Statuta, vel Ecclesiastica Decreta, Dispensationes, Absolutiones, vel ullae aliae, quocunque nomine aut praetextu excogitari poterint, Exceptiones, unquam allegentur, audiantur aut admittantur: nec uspiam contra eas in Petitorio aut Possessorio, seu Inhibitorio seu alii Processus decernentur.

1647.
April.

Omnes hujus Transactionis Consortes, Imperator, Reges Sueciae Galliaeque & Imperii Status, teneantur universas & singulas hujus Pacis Leges contra quemcunque tueri & protegere. Si quid earum a quocunque violari contigerit, laesus laedentem in primis quidem de via facti, ut convenit, dehortetur, causa ipsa vel amicabile compositioni, vel Juris Disceptationi submissa. Veruntamen si neutro horum modorum intra spatium Mensium terminetur controversia, teneantur omnes & singuli dicti Compromittentes, junctis cum parte laesa Consiliis Viribusque arma sumere, ad repellendam injuriam, statim atque post mensem ex quo fuerint ab injuriam passo moniti, quod nec amicitiae nec juris via locum invenerit: Salva tamen de caetero, tam Caesareae Majestati per Imperium & sua Regna terrasque Haereditarias, quam Regiae Majestati Sueciae Galliaeque per earum Regna & Provincias, Jurisdictione, Justitiaeque juxta cujusque Status Leges & Constitutiones competenti administratione.

Qui huic Transactioni consilio vel ope contraverit, sive Clericus sive Laicus fuerit, poenam Fractae Pacis incurrat, Honore, Dignitate, Bonis, Juribusque privandus.

In quorum omnium & singulorum fidem majusque robur, praesentem Transactionem manibus propriis subscriptam Sigillis quoque Nostris muneri fecimus. Osnabrugis d. Mensis Anni MDCXLVII.

Summarischer Inhalt des Neun und Dreyßigsten Buchs.

- §. I. *Connexion der Materien: Antritt der neuen Conferenzen zwischen den Kayserlichen und Schwedischen: Ceremoniel bey dem Anfang derselben: Kayserlicher Seits gethane Vorschläge quoad Modum tractandi und quoad Materialia: Von dem puncto Justitiae den Anfang zu machen: Der Schweden Antwort darauf und der Evangelischen Schluß in puncto Formalium; Von der Paritate Assessorum in Camera, N. I. II. III. Relationes.*
- §. II. *Cammer-Richter soll in paritate Votorum den Ausschlag nicht machen: Catholici sind mit dem Modo tractandi zu finden: Der Kayserlichen Project in puncto Justitiae: Evangelicorum Notae & Emendationes darüber: Evangelicorum Schema Praesentationis Assessorum in Camera: Zweyte Conferenz zwischen den Kayserlichen und Schwedischen: Welcher Religion ein Cammer-Richter zugethan seyn müsse: Der Catholischen Stände*